

Om 18

DE  
IOANNE A IESV DILECTO  
DIS SERIT  
HABENDASQVE  
AVIRO  
SVMME REVERENDO ATQVE EXCELLENTISSIMO  
HENRICO EBERH. GOTTLOBIO  
PAVLO

AD IMPETRANDOS SVMMOS IN THEOLOGIA

HONORES

RECITATIONES SOLEMNES

ET

DISPVTATIONEM IN AVGVRalem

INDICIT

D. IOANNES GVILIELMVS SCHMID

ORDINIS THEOLOGORVM H. T. DECANVS.

---

IE NAE  
TYPIS GOEPFERDTIANIS.

JOANNES ALESSANDRO

DIGESENTI

YANNA  
MAGNUS  
DAGOBERT  
HILDEBRAND

A V I O

ERIKUS ET ALMUNDUS ET HEDVIGA

HEIRICO ERLICH GOTLORIO

P A F O

FRANCISUS PEGELUS ET GREGORIUS

ALDO

FRANCISUS SOLVINGE ET FRANCISUS

LUDOVICUS SOLVINGE ET FRANCISUS

FREDERICUS INNOVATIUS ET FRANCISUS

INNOVATIUS

O. JOANNES CALTHIAS SCHWID

ERIKUS ET ALMUNDUS ET HEDVIGA

ERIKUS

1463. CESTERBURGIANUM

Inter discipulos summi doctoris nostri, Iesu Christi tres praecipue fuisse, quos majori reliquis familiaritate dignatus est Dominus, Petrum, Iacobum et Iohannem, ex historia vitae ejus satis luculenter appetet. Illos enim solos in gravissimis negotiis perficiendis temporisque momento vel jucundo vel acerbo comites sibi adjunxit. Praefentes fuerunt, cum socrum Petri febri laborantem sanaret, Marc. I, 29. filiamque Iairi in vitam revocaret, Marc. V, 37. Luc. VIII, 51. Comitati eum sunt, cum in monte transfiguratus esset, Mosesve ac Elias ei apparerent, Matth. XVII, 1. Marc. IX, 1. Luc. IX, 28. Tandem eos sibi associavit,

cum in horto Gethsemane ob imminentem  
acerbissimae mortis sortem summo dolore  
animique angore afficeretur. Matth. XXVI, 37.  
Marc. XIV, 33. Hac praerogativa paeclaro,  
quo erga Iesum ejusque doctrinam affecti  
fuere, animo dignos se reddidisse discipulos  
illos, non est dubitandum. Illi enim primi  
doctrinam ejus amplexi relictis omnibus bo-  
nisi ac propinquisi suis eum confessim subse-  
cuti sunt, ut disciplinam ejus perciperent,  
Matth. IV, 18 - 22. Marc. I, 16 - 20. Luc. V, 10.  
eumque comitantes pae reliquis doctrinae  
valde cupidos se paebuerunt, ut ex quaestio-  
nibus Marc. Xlll, 5. ipfi propositis suspicari  
licet.

*Omnium autem dilectissimus Domini disci-  
pulis IOANNES Zebedaei filius fuisse videtur,  
quippe qui τα μαθητα, ον ἡγετα. ον ἐφιλεο Ιησος  
cognomen accepisse dicitur Ioh. Xlll, 23. C.  
XVlll, 26. C. XX, 2. C. XXI, 7. 10. Dubitari  
quidem posset, utrum vera sit haec relatio,  
an inter fictas referenda, quum reliqui scri-  
ptores sacri hac de re taceant, et cognominis  
tam honorifico Ioannes solus mentionem faciat.  
Quodsi enim scriptor historicus talia de se re-  
fert, plerumque ostentationis et gloriae cupi-  
dinis suspicionem excitat, certe proprio testi-*

monio

monio tanta fides tribuit nequit, quanta aliorum auctoritati. At *Ioannes* tam praeclara integritatis et in describenda historia magistri sui sinceritatis documenta edidit, nec non post resurrectionem Christi adeo infucatam virtutem coluit et Christianis commendavit, ut credibile non sit, eum tali mendacio lectores suos fallere potuisse; quemadmodum valde imprudenter egisset, si facta fingere conatus esset, quae ab aliis facile refutari potuissent. Praeterea, genuinam hanc personae *Ioannis* designationem esse, inde majorem veri speciem accipit, quod apostolus, si de se ipso factum memoratu dignum narrat, nunquam nomine suo se appellare, sed descriptione tunc temporis usitata uti solet.

Quod si vero nobis persuasum esse debet, *Ioannem* revera *νατ ἐξοχην* discipulum illum appellatum esse, quem *Iesus amavit*, operaे pretium est, uberioris indagare, unde singularis iste Domini erga *Ioannem* amor profectus sit.

Plerumque causa huius praerogativae in praeclara animi indole hujus discipuli, ejus lenitate et mansuetudine, eximio in magistrum suum amore et ardentí doctrinae illius tuendae et propagandae studio quaeritur, quod quidem ex argumento scriptorum suo-

rum, historiae evangelicae et epistolarum appa-  
rere putatur, quippe quae non luculentis  
tantum firmissimae fidei et ardentissimi amo-  
ris erga Iesum tanquam Messiam documentis,  
sed vividis etiam amoris Dei ac Iesu Christi  
erga homines descriptionibus et gravissimis ad  
amorem mutuum cohortationibus repleta sint.  
Ad posterius vero quod attinet, ex illa animi  
indole, quam in scriptis suis declaravit *Ioannes*, ad eam, qua tempore Iesu Christi pree-  
dictus fuit, concludi nequit, cum post resur-  
rectionem et ascensum Domini in caelum illa  
procul dubio admodum emendata et perfe-  
ctior reddita est. Ad prius ergo attentio no-  
stra dirigenda est et accuratius disquirendum,  
utrum laudata illa animi indole paeclara reli-  
quos familiares Iesu Petrum et *Iacobum* revera-  
superaverit *Ioannes*.

Hujus eminentiae autem nulla manifesta  
in narrationibus evangelistarum testimonia  
exstant, contrarium potius facilis negotio evin-  
ci potest. Etenim *Ioannes* ex eorum quidem  
numero fuit, qui primi a se eisdem Iesu se adjun-  
ixerunt. Sed *Iacobo* fratri suo, *Simoni Petro* et  
*Andreae* eadem laus est tribuenda. Matth. IV,  
18-22. Marc. I, 16-20. Luc. V, 10. Forsttan  
etiam discipulus ille fuit, qui Dominum, cum  
capti-

captivus abduceretur, in palatium sacerdotis summi sequebatur, Ioh. XVIII, 15. sed Petrus idem etiam fecit, eodem enim loco c. 16. narratur, alterum discipulum, Petro foris adstante, a janitore impetrasse, ut Petrum intronmitteret. Praeterea *Ioannes* quidem delicti, quod *Petrus* commisit, negans, se Iesum, doctorem suum nosse, noxiū se non redditit. Ioh. XVIII, 15-18. 25-27. Sed *Ioanni* criminis hujus perpetrandi opportunitas non fuit. Sive enim ἀλλος μαθητής, de quo sermo est, non fuit, sive si idem fuit, meritum aliquod ob hanc malam actionem intermissam ei nullo modo adscribi potest, quoniam a nemine interrogabatur et summo sacerdoti notus, parum ex confessione libera metuere poterat. Tandem *Ioannes* nuncio de resurrectione Domini accepto primus fuit ad sepulchrum aperatum accurrens, *Petrus* autem eum statim fecutus est. At praeter ea, quae modo commemoravimus, nihil in evangeliis reperitur, quod *praestantiorēm Ioannis virtutem* testificeretur.

Contra de *Simone Petro* plura narrantur omni laude digna, quibus omnibus reliquis discipulis ac praesertim *Ioanni* longe anteceluit. Saepius enim occasione data virtutis ac

pietatis sane infucatae, ardoris discendi non  
 vulgaris, πιστεως βεβαιωση, propensityis purae et  
 immutabilis erga Dominum, fiduciae in eum  
 collocatae firmissimae fidei et constantiae nec  
 non fervoris summi in tuendo magistro suo  
 ejusque doctrina, plura et validiora specimi-  
 na dedit. Quanta cupiditate flagraverit Petrus  
 cognitionis doctrinae Iesu Christi amplifican-  
 dae, ex quaestionebus elucet saepius magistro  
 suo eum in finem propositis, ut dilucidius  
 sibi explicentur ea, quae in institutione illius  
 non perspicue intellecta fuere, ut Matth. XV,  
 15. Luc. XII, 41. Matth. XVIII, 21. Marc. XI, 21.  
 Quanta in eo fuerit πιστεως virtus, egregia illa  
 professione fidei satis declaravit, cum disci-  
 pulos interrogaret Iesus: qualem vos putatis me  
 esse? et ille omnium nomine responderet: tu  
 es Christus Dei viventis filius, ita ut magna lau-  
 de Dominus eum condecoraret. Matth. XVI,  
 16 - 20. Marc. VIII, 29. Luc. IX, 20. Quanta  
 porro fiducia in auxilio Iesu collocata praedi-  
 tus fuerit, historia piscaetus mirandi, et prom-  
 tus animus docet, quo mandato Domini, rete  
 suum in aliquo loco ejiciendi, satisfecit, pro-  
 sperum eventum exspectans. Luc. V, 3 - 5.  
 Quanta porro animi inclinatione in doctorem  
 suum propenderit, quantaque fide et obser-  
 vantia totus ei addictus fuerit, multa exem-  
 pla

pla in historia evangeliorum enarrata confirmant. Semper enim primus fuit, qui Christo adventanti statim se obviam daret, ut Matth. XIV, 28-31. Ioh. XXI, 7. eundem cruciatus mortemque suam praenuntiantem bona mente valde reprehendit, Marc. VIII, 31. 32. multis discipulis Iesu aliquando ab eo discedentibus fidei constantiam duodecim apostolorum nomine his verbis declaravit: *nunquam te deseremus, domine, tu aeternae vitae doctrinas proponis, et nos credimus ac novimus, te esse Christum, viventis Dei filium.* Ioh. VI, 66-69. Deinde cum Iesus discipulorum pedes lavaret, id quidem primo permettere noluit, Iesu autem respondentе: *nisi te lavero, non amplius socius et amicus meus eris, statim: domine, inquit, non solum pedes meos lapes, sed manus etiam atque caput.* Ioh. Xlll, 5-9. Praecipue hoc referenda sunt consilium ejus non stabile quidem attamen fixum, Dominum nunquam nec deserendi nec abnegandi, carcerem potius et mortem cum eo adeundi, Matth. XXVI, 33-35. Marc. XIV, 29-31. Luc. XXII, 31-34. Ioh. Xlll, 36-38. et facinus illud temerarium, cum magistrum suum stricto gladio contra aggressores ejus defenderet et pontificis servo auriculam amputaret. Matth. XXVI, 51-54. Marc. XIV, 47. Luc. XXII, 50. Ioh. XVlll, 10. 11.

Altera ex parte negari quidem nequit,  
*Petrum* nonnumquam praecipitato animo egil-  
se et locutum esse, ita ut reprehensionem Do-  
mini sibi contraxerit. At *Ioannes* non minus  
sermonibus et actionibus suis interdum in-  
dignationem ejus excitavit, et utriusque er-  
ratis attente et sine partium studio considera-  
tis statim apparebit, *Ioanni* majorem culpam  
quam *Simoni Petro* tribuendam esse. Hic  
enim ex imprudentia et bono plerumque con-  
filio lapsus est, ille autem animum aliqua ex  
parte depravatum prodidit.

*Simonem Petrum* acriter objurgavit Iesus,  
quum confilium quod ceperat mortis obeun-  
dae reprimere studeret, at non propter ma-  
lam his sermonibus declaratam intentionem,  
sed quia finem universo generi humano  
saluberrimum impedire conabatur. Marc.  
VIII, 31. 32. Grave etiam Petri omnino de-  
lictum fuit, quod iteratis vicibus negavit,  
se doctorem suum sibi amicissimum et opti-  
me de se meritum nosse, idque mendacium  
juramento atque diris confirmare studuit,  
quamvis tam suaviter et amice commonitus  
erat et fidem inviolatam vsque ad mortem  
promiserat. Matth. XXVI, 69 - 75. coll. c.  
33-35. Sed timore tantum perculsum et inopi-  
natis

natis quaestionibus turbatum, fidem suam atque propositum per breve tempus Petrum oblitum esse apparet; quemadmodum bonitatem animi sui poenitentia sincerrima et lacrymis uberrime effusis satis superque declarauit. Ita etiam improvida illa actio, qua stricto gladio amicum et doctorem suum defendit, non magno vitio ei verti potest, quoniam optimo animo id fecit, quare etiam leviter tantum eam ob rem a Iesu correctus est. Matth. XXVI, 51 - 54. Ioh. XVIII, 10. 11. Et si forte quis male accipit, quod in summo angore Christi secure dormiverit, cogitandum est, reliquos discipulos et ipsum Iannem hac infirmitate oppressos tristesse. Ioh. XXI, 5 - 19.

Quod vero ad Iannem attinet, is sine dubio majori se reprehensione dignum reddidit. Hic enim primo magna commotione animi Domino narrat, se aliquem daemonia in nomine Iesu ejicientem vidisse eumque prohibuisse, quoniam ex numero afflclarum Iesu non fuerit. Marc. IX, 38. Quis vero non invidiae vestigium aliquod hic animadvertiset? Majorem autem reprehensionem illius sentiendi ratio Luc. IX, 51 - 56. commemorata meretur. Iesus et discipuli ejus Hierosolymam profecti in Samaritanorum vico diversorum quaesilverunt, incolae vero illius admitt-

tere

tere eos noluerunt, quoniam Hierosolymam  
 ire visi sunt. Tum *Ioannes* frater ejus et *Ia-*  
*cobus* statim irato animo eum rogarunt, ut ig-  
 nem de caelo descendere jubeat, qui eos con-  
 ficiat, ut quondam Elias id etiam fecerit.  
 Quantopere his verbis fratres isti infensum et  
 inimicum animum et vindictae cupidinem  
 manifestaverint et quantam indignationem  
 haec indoles animi ab ingenio religionis magi-  
 stri sui plane aliena mereat, ipse Dominus di-  
 lucide et satis fortiter docet, illis respondens:  
 !! *an nescitis, cujusmodi spiritus filii vos fitis?*  
*Nam hominis filius non perditum venit vitas ho-*  
*minum, sed servatum.* Denique arrogantia et  
 superbia non exigua, gloriaeque avaritia Io-  
 annem et Iacobum praeditos fuisse, ex eo ap-  
 paret, quod praestantiores se habebant reli-  
 quis discipulis et non verebantur Dominum  
 rogare, ut summos in regno Messiano (quod  
 terrestre esse putarunt) locos ad dextram  
 et sinistram solii regii sibi concedat, ita ut in-  
 dignationem reliquorum discipulorum sibi  
 consenserent, et repulsam petitionis suae in-  
 justiae paterentur. Matth. XX, 20 - 23. Marc. X,  
 35 - 37. Talem dignitatis aemulationem et ad  
 principatum adspirantem animum in *Simone*  
*Petro* non deprehendimus. Is enim meritum  
 aliquod sibi tribuens, quod totum se Iesu  
 Chri-

Christo ejusque doctrinae dicaverit, reliquos discipulos non exclusit, sed ad eos etiam honorem hunc pertinere putavit. Itaque non suo tantum sed amicorum etiam nomine prae-mium pietatis suae petiit, *Domine, inquiens, ecce nos omnia reliquimus teque secuti sumus, quid ergo inde asequemur?* Has preces igitur Christus non reprehendit, quin largissimam etiam remunerationem fidelitatis suae petentibus promisit. Matth. XIX, 27-29.

Quae cum ita sint, in historia vitae et actionum *Ioannis* nihil reperimus, quod justam causam praecipui amoris Iesu et primariae in eum collatae dignitatis exhibeat. Potius ita coram discipulis suis Christus se gessit, ut concludere liceat, eum *Simonem Petrum* amore et observantia reliquis omnibus anteposuisse. Nam ob praeclaram ejus confessionem fidei antea laudatam cognomine Petrus (*a πετρᾳ deductio* Ι. Κηφας (Gal. II, 9.) eum condecorat, hoc praeconio adjecto: *super hac petra constituan meam ecclesiam et orci portae eam non superabunt;* ac simul munus doctoris ecclesiae et auctoritatem ecclesiasticam his verbis ei affixat: *caelestis regni claves tibi trado, ac quidquid ligaveris in terra, ligatum erit in coelis, et quidquid in terra solveris, erit solutum*

in

*in caelis.* Matth. XVI, 16-20. Saepius quoque sermonem ad eum solum dirigit, ut Luc. VII, 40-47. a perfidia et inconstantia amice eum dehortatur, certo sperans, eum post conversionem suam in fide confirmaturum esse fratres suos; Luc. XXII, 31. 32. quemadmodum tristissimo illo tempore, quo protervi homines faciem ei conspuere, colaphos impingere, alapis eum ferire et indigno modo cavillari audebant, attentionem suam adhuc amico suo labenti consecrat et facie tristi sed amoris plena eum intuens memoriam promissi sui excitare et ad resipiscientiam ducere studet. Matth. XXVI, 66-75. Luc. XXII, 61. Angeli etiam post resurrectionem Iesu mulieribus mandant, ut *Petro* praesertim redditum ejus in vitam nuncient. Marc. XVI, 7. Ipse tum *Petro* apparet, tristia fata et martyrium ei anuncians, ter eum interrogavit; *num plus reliquis discipulis me diligis?* et amoris fide a *Petro* accepta denuo munus pastorale ei tradit.

Tanta benevolentiae singularis erga *Iordanem* documenta Christus non edidit. Illi enim et fratri ejus Iacobo nomen Βαυεργες (ex υδρη fine dubio deductum) imponit, quod quidem per *vios Βεοντης*, filii tonitru explicatum Marc. III, 17. et, quemadmodum videtur, a gravi ac fer-

servida dicendi facultate, qua praediti fuerunt, desumtum est. Magis autem cognomen hoc cohaerere cum fervore illo improviso, quem in regione Samaritana fratres illi ostenderant, cum fulmen atque tonitru ad destruendum vicum e caelo elicere cuperent, majori probabilitate gaudet. Deinde valde honorificum *Ioanni* quidem fuit, quod in coena paschali, primum a latere Domini locum occuparet; Ioh. Xlll, 23. 25. sed hoc semper factum esse et hunc ordinem in coena accumbendi lege quasi ac consuetudine constitutum fuisse, ex relationibus evangelistarum non appareat. Porro certissimum praecipui amoris Iesu erga *Ioannem* testimonium id videtur esse, quod cruci affixus moribundus adhuc matrem suam dilectissimam familiari suo *Ioanni* Iesus commendaverit, dum matri sua dixit: *mulier, ecce filius tuus*, et *Ioanni, ecce mater tua*. Joh. XIx, 26. 27. Et negari omnino nequit, familiaritatem et amicitiam erga *Ioannem* Christum his verbis declarasse magnam, sed quod ex omnibus reliquis discipulis, eum maxime dilexerit, ex hoc facto non satis clarum est. Nam *Ioannes* solus crux adstitit et opibus praे reliquis praeditus fuit, adeoque Iesus in ultimo vitae suae momento non alio modo sustentationi matris suae

confu-

consulere poterat, nisi quod eam curae amici  
sui dilecti, quem solum sub cruce conspiciebat,  
studiose commendaret. Tandem neque ex eo,  
quod Joh. XXI, 20-23. Iesus vitam longam  
et mortem non violentam Joanni praedixisse  
videtur, argumentum pro amore illo praeci-  
puo peti potest, quoniam multae aliae causae  
hujus beneficij singularis cogitari possunt.

Hac igitur quaestione omni ex parte con-  
siderata, nihil est, quod in historia evange-  
lica vel indicium certum singularis Jesu in Jo-  
annem amoris vel justam causam hujus incli-  
nationis praecipuae praebeat. Et si quis for-  
te credit, in eo quaerendam esse causam illam,  
quod *confangnineus Domini Ioannes* fuerit, ut  
quidam putarunt, id ex historia evangelioru-  
rum non elucet, nam Jacobum illum, cuius  
mater Maria matris Jesu soror erat, neuti-  
quam fratrem Joannis Zebedaei filium, sed  
alterum Jacobum, Alphaei filium fuisse, om-  
ni dubitatione caret. Math. X, 3. Marc. III, 18.  
coll. Joh. XIX, 25. Galat. I, 19.

Attamen *Ioannes* diserte *discipulus ille*,  
quem *Iesus* dilexit, adpellatur. Nihil ergo re-  
stat, quam ut dilectionis hujus causam non in  
eximia animi ejus indole s. charactere morali,

quo

quo reliquos omnes discipulos superaverit,  
sed in naturali potius animorum conjunctio-  
ne, quam συμπαθειᾳ vocant, quaerendum es-  
se, adeoque amorem hunc non rationalem  
sed pathologicum fuisse, credamus. Haec  
συμπαθειᾳ f. mutua propensio plerumque in-  
timam amicitiam gignit, quae quidem tam  
qualitatibus animi bonis detectis, quam con-  
suetudine quotidiana magis magisque conser-  
vatur firmiorque redditur. Talem sympa-  
theticam inclinationem inter Jesum et Ioan-  
nem obtinuisse, admodum verisimile est.  
Quam vero si revera adfuisse statuimus, om-  
nia in disquisitione nostra clara atque perspi-  
cua redduntur, contra illa negata res valde  
obscura et implicata manet. Etenim si talem  
συμπαθειᾳ in animis Jesu et Joannis adfuisse  
sumimus, non amplius est, quod miremur,  
non PETRVM sed JOANNEM *discipulum a Jesu*  
*dilectum* adpellatum esse; et haec utriusque  
singularis propensio praeter alias rationes ef-  
ficere potuit, ut *Joannes* in coena paschali,  
forfitan etiam alio tempore in gremio magistri  
sui accumberet, utque Jesus matrem suam  
ejusdem curae atque tutelae moribundus uni-  
ce commendaret.

In hac singulari animi inclinatione, qua  
in *Joannem* propendit *Dominus*, nihil est quod

b

repre-

reprehensionem aliquam mereatur. Potius  
 fides ejus summa in colendo justo atque aequo,  
 inclinationis reluctantis nulla habita ratione,  
 ab omni partium studio aliena mens et amor  
 purus erga omnes discipulos suos pro merito  
 cuiuslibet demonstratus, indoles animi omni  
 admiratione nostra digna est, digna quae ad  
 imitandum nobis proponamus, omnibusque  
 consuetudine intima cum alio junctis etiam at-  
 que etiam commendemus. Etiam si enim Joa-  
 nes discipulus erat, quem ipsius naturae instin-  
 ctu praeter caeteros diligebat Dominus, tamen  
 eum reliquis nunquam anteposuit, quin Si-  
 moni Petro potius ob fidem, amorem ac virtu-  
 tem ejus eximiam, majora ac crebiora Joanne  
 amoris et magnae opinionis documenta dedit.  
 Hoc praeclaro exemplo incitati et officii san-  
 ctitate commoti, si firmorem quidem cum eo  
 societatem iniverimus, cuius animum ipsa na-  
 tura συμπαθεια quadam nobis junxit, tamen  
 reliquos homines pro eo ac merentur sine par-  
 tum studio amore puro et actuoso amplecten-  
 tur, inclinationum incitamenta cum ratio-  
 nis praeceptis felicissime conjungemus et uberi-  
 mos tum ex virtute nostra tum ex liberalita-  
 te naturae et amoris dulcedine fructus perci-  
 piemus.

hunc libellum emique libras quoq[ue] numeru[m]  
 vixit

Sed

Sed haec omnia eum tantum in finem praemissa sunt, ut officio mihi tradito suavissimo et exoptatissimo satisfaciam. Nimirum solemnia inauguralia summorum in Theologia honorum CANDIDATI longe dignissimi, indicenda sunt. Cujus in rem publicam nostram litterariam meritá praeclara, laudabilis vitae studiorumque, quam fecutus est, ratio, munera ab eo gesta et scripta eruditionis copia repleta omnibus quidem nota sunt. Attamen ipsum his de rebus suis uberius exponentem audire Lectoribus gratum et acceptum erit.

*HENR. EBERH. GOTTLÖB PAULUS, natus a. d. 1.  
Sept. c. 10 10 cc LXI. Leonbergae, in oppido Würtembergici Ducatus, Stuttgardiae urbi vicino, matre MARIA CHRISTINA KOESTLINIA, cuius fida, pia, amabili cura quatuor liberos adhuc parvulos a. d. 5 Dec. 1767. praeaturum fatum orbavit, patrem habuit GOTTLÖB CHRISTOPHORUM, eo tempore sacerdotum coetus Leonbergenfs Diaconum. Is ipse literis philologicis accurate imbutus, mathematicum nec non philosophiae Leibnitianae studiis copiose instructus, Theologie vero ex doctrina Canziana, multo tam magis ex religioso et interno sensu, experimentis, quae non disimulabat, mysticis post mortem coniugis accenso, quam vivacissime additus, non educationi soli sed et institutioni liberorum, meae in pri-*

mis, tempus operamque indefessa fide atque methodo prudenti aequa ac constanti impendit; ita quidem, ut, Alexandri verba apud Ciceron. l.3. de orat. pio affectu repetituri, eidem viro et quod viveremus et quod honeste vivamus, nos debere nunquam obliviscamur.

*Ex quo meum pueri animum, ad medicinæ studia antea vergentem, Theologicarum rerum, ex patre subauditarum, penitus vero unquam meis ipsis oculis cognoscendarum cupiditas occupaverat in dies confirmationis, patris disciplina consilium hoc, non suasu sed permisso tamen ipsis captum, necessariis utriusque philologiae subsidii mature parandis maximopere adjuvabat. Omnem praeterea filii indolem non unice exercitatione in literis aetati illi aptis quotidiana, sed continua etiam de omnibus, quae ad mores pertinent ingeniumque alunt atque excitant, cura ac diligentia formare, ea vero opera splendidiorum opum ac patrocinii defectum compensare suisque viribus explore feliciter connisus est. Quod pueritiae meae moderamen paterna auctoritate, probitatis exemplo ac solertia tenuitatem corporis ingenioque puerilis tueri et provehERE satagens dum gratia mente nunc, ut saepe, recolo, omnibus parentibus id unum, ut salutem liberorum ac felicitatem omnigenam ab ipsis aetatis educationisque primordiis pendere teneant, alta voce acclamare posse optarem.*

Quid-

Quidquid enim debitae laudationis ad patrem optimum inde hoc meo nomine pertineret, id, cum ante quadriennium et quod excurrit, mortalibus rebus ipse exceperit, omnesque terrenae vitae et conflictationes et amoenitates pone reliquerit, nunc, eheu, non nisi superflibus dictum esse potest.

Futuris Theologis Würtembergia, ex quo Luther duce ad Protestantismum religiosum reformata est, per coenobia aliquot olim monastica scho-  
las aperuit philologicas et philosophicas, quibus per quadriennium praeparati juvenes dehinc ad quinquen-  
nium academicum Tubingam progrediuntur. Cui  
potissimum otio ad studia literarum, cursu in no-  
num usque annum satis diurno, prosequenda dato,  
utinam ubique terrarum aequa felici! debent literarum  
theologicarum alumni Würtenbergenses, quidquid  
fere bonae frugis ex institutis illis publicis redundant.  
Ut ut nimirum patriam habuerim in recipiendis pa-  
dagogorum recentiorum novis formis non admodum  
celerem, docentium tamen labor, cum discentes ad  
multiplicem lectionem et propria in adsequendo litera-  
rum fine pericula facienda tempus non destituat,  
fructu suo nec caret nec unquam carebit. Sensim  
potius velut sine sensu succrescit illa seges perque  
omnem illam terram absque intempestivo planu fre-  
pituque maturitate se diffundit ea, quae ut subinde  
laetior pleniorque fiat procerum curis ad res schola-

*sticas emendandas magis nunc conversis, bonus quisque optabit.*

*Inde a quarto decimo aetatis anno Blaubirae institutione doctissimorum virorum b. KAEUFELINI, b. GMELINI, b. KUEBLERI, ac venerandorum virorum GAUMII, deinde post biennium Bebenhusae WILDII at SCHELLINGII doctrina fruitus sum. In primis b. KUEBLERI disciplina ac SCHELLINGII, qui etiam extra patriam eius modi scriptis merito innovauit, eruditio ne ad orientalium literarum adyta admotus, Tubingae virorum celeberrimorum, SCHNURERI ac STORRII criticis ac philologicis copiis longe amplissimis methodo que accuratissima ad libros sacros mea etiam ipsius intelligentia, solito immo anxio veri studio excitata, perscrutandos expeditius uti discebam. Insimil autem Ill. ROESLERI in historico - ecclesiastis insigni perspicacia excitatus novum quasi ad stadium introducebar. Quod utrumque studiorum genus dum animum Theologiae cum evictione perspiciendae intentum maxime occupabat, mathematum autem rudimenta ego proprio ausu prosequabar, aliorum etiam inclitae Academiae Professorum doctissimorum, in logica et metaphysicis b. PLOUCQUETI, in physicis b. KIESII, in ethicis ac psychologicis Ill. BOECKHII, in exegeticis et chronologicis S. R. UMLANDII, in dogmaticis b. SARTORII et b. HEGELMAYERI, virorum laude mea non indigentium, luce publica usus sum*

sum privataque etiam plurium ex his benevolentia  
gavisus et erectus. Praeterea FLATTII GAABIQUE,  
nunc ibidem Professorum, SCHOLLIT quoque  
qui interim inter Batavos educationi doctisque ali-  
quot libris ex ista regione cum Germania communi-  
candis operam dedit, ac SEYFFERI, Professoris nunc  
Göttingensis aliorumque aequalium amica et arctior  
consuetudo, cum et mentem ad communia studia acue-  
rit, facilius ita perpoliendam et dulcis amicitiae sen-  
su dies istos vitae adolescentis candidiores perfuderit,  
maximis mihi in bonis ponenda erat.

Magisterii philosophici honores, primo [inter  
aequales loco, obitui 1781. scriptis Obff. philo-  
logico-criticis ad vaticinia Jesuiae,  
quas Praefide Cel. Schnurrero defendi. Theologi-  
cum deinde trimum cursum absolvit Dissertatione  
b. HEGELMAYERI publice defensa editoque libello:  
exegetisch-critische Abhandlungen (8. 1784.) qui  
exegetica quaedam V. et N. Ti atque Evangelium  
a Justino martyre usurpatum sex dissertationibus  
illustrare tentavit.

Iam Tubingae atque antea, instituendis etiam  
aliis continuam operam impendi, docendo discere an-  
nus. Eandem postea in domo dilectissimi Patrui,  
nunc Soceri, THEOPH. FRIED. PAULUS, oppidi  
agrique Schorndorfensis Praefecti, in binos eius filios

natu minimos, mox in classem oppidanæ Scholæ primam integrum collocavi rebusque paedagogicis ex ipsa etiam praxi habilem me reddere studui. Unde factum est, ut a Patrono animi nobilitate ultra splendidas proavorum imagines illustri L. B. DE PALM, ad iter literarium per Germaniam suscipiendum liberaliter instructus atque publicis etiam ecclesiastici aerarii sumtibus eo destinandis adiutus, professionis scopum in paedagogicis cuiusvis generis institutis, id est Academicis, Gymnasticis civiumque omnium formationi apertis diligenter visendis potissimum mihi praefigarem. Praeterea vero praemeditatis nonnullis disquisitionibus intentus, bibliothecas aliosque thesauros literarios, viros etiam eruditos multa cum voluptate et utilitate adii, tramite per Onolsbacum, Norimbergam, Erlangam, Bambergam, Banzium, Coburgum, Gotham, Vinarium, Ienam, Halam, Lipsiam, Dresdam, Vitebergam, Dessaviam, Berolinum, Reckhanum, Magdeburgum, Helmstadium, Brunovicum, Guelpherbytum, Goettingam directo. Qua absoluta periodo cum Patroni munificentia ultero Angliam adeundi facultatem mihi concederet, Bibliothecae Gottingensis copius instructissimis et selectissimis proutque apertis per hyemen ad preparanda itineris molimina ea ratione adiutus sum, quam in dies magis necessariam et desiderabilem aliae nostræ literarum Universitates omnes a Principibus Musatis votis expetunt ardentissimis. Unde inter alia opu-

*opusculum enatum est, in annalibus litt. Helmstadiensis editum, Catalogus nempe accuratior Mſtorum versionis Syrae Philoxenianaæ, cuius quippe penitus beneficio editoris, Cel. Wixthi, Oxonii cognoscendae spes praefulserat.*

*In itinere per Hollandiam Amstelodami, Lugduni, Hagae, literarii generis varia collegi, Londini in Museo Britannico et alibi Codicem N. T. manuscriptorum notitiae acquirendae studui, Oxonii vero in primis ex Orientalibus Mſtis arabicis, syriacis, sabicis meos in usus, quantum per tempus licuit, converti; Cantabrigiam deinde et Parisios non librorum quidem causa sed magna tamen animi cum delectione vidi. Neque hebetior est ad hanc usque horam multiplicis illius per omne hoc iter iucunditatis atque ad acuendum humanitatis sensum aequa ac literarum studium proficuae experientiae recordatio, quam quidem ea tum fuerat, cum Argentorati adhuc et Carolsruhae sic, ut finis laetus feliciter coepitis et peractis imponeretur, benignissime acceptus, per rivendita patriæ rura ad dulces pristinae amicitiae complexus fautorumque piam venerationem redux prope rarem. Vivit potius atque, dum spirem, vivet tot Virorum, quorum doctrinam, prudentiam, humanitatem per tempus illud nimis fugax coram expertus sum, benivola in me et saepius recolenda imago, vivit operae et benignitatis ad consilia itineris iuvanda*

a multis bonis impensa*e* memoria; vivit in primis iuxta cum ad*spectu* prop*ri*oris atque multorum in me benefic*ii*s abundantis Germaniae, fortunatae illius insulae, gentis strenuae et mirifico libertatis atque ingenuitatis sensu confirmatae virorumque ibi prae multis mihi calendorum reminiscentia, magnetis ad modum mentem nunquam non attractura.

Transacta profectio*n*e cum in eo esset, ut Tubingam Magistri Repetentis officia in Collegio Theologico obiiturus reverterer, Iena nostra, ubi per sex septimanas in itinere pluribus atque inter hos optimis viris innotueram, ad capessendum munus Professoris Orientalium literarum me accersivit. Cuius adeundi opportunitas cum Julio denum mense 1789. permis*su* summorum Würtembergiae procerum mihi libera es*se*t, comitatus a dilectissima coniuge, paucis diebus prius mihi nupta, CAROLINA FRIDERICA ELISA, e Paulina gente, antea iam mihi consobrina atque nunc extra patrios etiam fines amantissime sequaci, hanc literarum Universitatem multis ex partibus mihi hucusque iucundam attigi. In qua, postquam operae meae in literas orientales et biblicas ad Theologos liberali eruditione philologica praeformandos per quadriennium collocatae non omnino displicuissent, Doederleinio praematura morte erepto ad Professionem Theologiae primo honorariam, mox ordinariam, me transferre Serenissimis Academiae Nutritoribus

ribus clementissime visum est. Quod minus cum primo interim tempore a necessaria auditoribus theologiarum lectionum serie inchoandum eorumque studiis votisque in hoc ante omnia cum voluptate a me satisfaciendum fuisset; iam nunc etiam meo desiderio, ad Collegium venerandorum theologici ordinis Duumvirorum destinato loco accedendi, viam aperire suscepit, oblataque Viris, qui Ordinem hunc iam ornant, summe Reverendis et Excellentissimis Dissertatione, Cerinthi atque inde Iudeochristianismi et Apocalypseos Canonicae historiam illustratura summos academicos in Theologia honores rite obtinendi veniam impetravi. In his maiorum instituta fideliter sequi paratus, nihil hat vice superesse mihi video, praeter hoc, ut scriptorum antea nondum memoratorum indicem subiungam. Illa vero, ut annorum ordine se excipiunt, haec fere sunt:

1787. Erklärung und Ueersetzung des hohen Lieds. Im Repertorium für bibl. und morgenl. Litteratur P. XVII.

— — Ueber das zweite Buch der Makkabäer in Hrn. Hofr. Eichhorn's Allg. Bibliothek der bibl. Litteratur 1 Bd. II St.

1788. Ueber einen Auszug aus einer jüdischen Chronick in Cochin. Ebendas. 1 Bds VI St.

1788.

1788. *Predigten über Einheit und Geistigkeit Gottes und über den Glauben, als Grundwahrheiten des Christenthums.* (Lemgo 8.)
1789. *Abdollahiphī Compendium Historiae s. Memorabilium Aegypti arab. edit. a Ios. White, c. praef. mea.* Tubingae 8.
- — *Diff. inaug. de Versionibus VII. Pentateuchi arabicis ex Bodleiana Bibliotheca nondum editis.* Ienae.
1790. *Neues Repertorium für bibl. und morgenländ. Literatur* I. II. Th. (1791. III. Th.) ibid.
- — *Compendium Grammaticae arab. ad ingenium linguarum orient. magis accommodatum, cum progymnasmati lectionis arabicae.* ibid.
- — *Bibliothek von Anzeigen und Auszügen kleiner, meist akadem. Schriften.* 1 Bd. (II Bd. 1792. III Bd. 93.) ibid.
1791. *Saadiæ Phiumensis versio Iesaiæ arab. primum edita, in modum Chrestomathiae perpetuo vocum indice illustrata.* I. (II. fasc. 1792.) ibid.
- — *Philologischer Clavis über die Psalmen,* ibid.
- — *Memorabilien, eine philosophisch - theologische Zeitschrift.* I Stück (II. III. 1792. IV. V. 93. VI. 94. VII. 95.) Leipzig.
1792. *Sammlung der merkwürdigsten Reisen in den Orient.* I Th. II Th. (III Th. 1794.) 8. Jena.

1793.

1793. Philologischer Clavis über den Jesuas ebend.

1794. Progr. Pasch. *Stricturae ad quaestionem: unde interius religionis cum externa civitatis salute consensus pendeat.*

— — Einleitung zum VIII. Bde von der zweiten Abtheilung der allgemeinen Sammlung historischer Memoires: herausg. von Schiller,

1795. Einleitung zum IX Bde dieser Memoires, auch Vorrede und Anmerkungen zu Ioinville's Denkwürdigkeiten aus dem Leben Ludwigs des Heiligen.

— — Progr. Pasch. *de custodia militum ad sepulcrum Jesu;*

— — Neues theologisches Journal. Jahrgang 1795.

Vitae notitiam ampliorem rogatus dedi 1793.  
in Beyers Allg. Magazin für Prediger VII Bd. III Se  
cui sculptam faciei imaginem addidit artifex soler  
tissimus, Lipsius, maiori forma etiam seorsim ex  
cusam. Aliam formam exhibent Ven. Hassen  
campii Annales Theologici. Quae ad diaria litera  
ria recensendis libris contulerim, locum heic non  
inveniunt.

Iam ut omnia ex instituto majorum rite  
perficiantur, Vir SVMME REVERENDVS ATQVE  
EXCELLENTISSIMVS crastino die horis XI, et

II.

II. paelectiones solemnes de consilio evangelii Johannei habebit, perendie autem historiae Cerinthi partem priorem ad Judæochristianismum et canonicae Apocalypses fata illustranda pertingentem, inaugurem Dissertationem ante et post meridiem defendet. Quibus omnibus peractis summi in Theologia honores in Candidatum doctissimum pro suismeritis publice conferentur.

Cui utriusque solemnitati ut interesse ve-  
llint MAGNIFICVS ACADEMIAE PRORECTOR, ILLV-  
STRISSIMI S. R. I. COMITES, PATRES CONSCRIPTI  
VENERANDI, RELIQVI PROFESSORES ET DOCTORES  
CELEBERRIMI, VTRIVSQUE REIPUBLICAE PROCERES  
GRAVISSIMI, NEC NON COMMITITONES GENEROSIS-  
SIMI NOBILISSIMIQUE, ea qua quemque decet  
obseruantia et humanitate Ordinis mei, verbis  
oro atque rogo.

P. P. Ienae, sub sigillo Collegii theologo-  
rum a. d. vi Augusti, A. C. 1513 CC LXXXV.






... etiam in aliis quibusdam deinde admodum  
rare habentur. Tunc vero istam possumus  
in alii partem ducere, ut sedecim in  
nisi et cunctis quibusdam quae sunt illius pro-  
pria pertingentes. Quod enim in constitutione  
aut et profecto potest esse, quibusdam quo-  
minus per nos in aliis deinde possunt in  
constitutioe et illius propositis publice conseruari.

... et quod taliter in aliis deinde pos-  
tini sacrificiis academie praedictae Alix  
renissimi s. h. l. cooptata. Patres conscripti  
etiam etiam. Quae etiam praecepta et statuta  
ad hanc etiamque reuera, que pueris  
et adolescentibus, sed non constitutis censores  
non subiecti erit et que omniq[ue] de  
cipienti si humanitate Optima mea vult  
erit atque rego.

P.M. P.M. sub Regis College. Anno 1580  
etiam etiam etiam etiam etiam etiam etiam





3f 847

ULB Halle  
006 231 985

3



JCT



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

Centimetres

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
0

19  
18  
17  
16  
15  
14  
13  
12  
11  
10  
9  
8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
0

DE  
IOANNE A IESV DILECTO

DIS SERIT

HABENDASQVE

A VIRO

SVMME REVERENDO ATQVE EXCELLENTISSIMO

HENRICO EBERH. GOTTLÖBIO  
PAVLO

AD IMPETRANDOS SYMMOS IN THEOLOGIA

HONORES

RECITATIONES SOLEMNES

ET

DISPVTATIONEM IN AVGVRALEM

INDICIT

D. IOANNES GVILIELMVS SCHMID

ORDINIS THEOLOGORVM H. T. DECANVS.

IE NAE

TYPIS GOEPFERDTIANIS.

